UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Schola Canonica Seu Universum Jus Canonicum Nova Methodo Digestum

Continens Prologum in Jus Canonicum. Librum primum Decretalium. Librum secundum Decretalium.

Sannig, Bernhard

Norimberg, Anno MDCXCII.

C. VI. Quid Juris Regularis de Vicariis in Ordine S. Francisci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98787

Visual Library

sed ad causas speciales speciale quoque mandatum obtinere debeat. Hujusmodi Vicarius potest revocari à Capitulo, modò intra octiduum alium constituat, juxta declarationem Cardinalium Congreg. Concilii; apud Fagn. & Ricc. Ad ejusmodi tamen revocationem requiritur prævia causa rationabilis; ut habet Quarant. Ejus Officium exspirat, postquam confirmatus est novus Episcopus, & accepit possessionem Episcopatus, & accepit possessionem Episcopatûs. Debet reddere rationem suæ administrationis novo Episcopo; & Episcopus potest eum punire pro commissis erroribus, uti & alios Officiales Episcopatûs; ut habet Tridentinum *loc. cit.* Circa Vicarium Papæ

3. Dico secundò: hodierno Jure Vicarius Papæ exercere potest Jurisdictionem non tantùm in Urbe Romana; sed etiam in tota Diœcesi seu Provincia Romana. Ita Tholos. Azor. Pirch, &c. Ratio est; quia ita à Sum. Pontifice eisdem conceditur in creatione eorundem; ut referunt præfati AA. Hujusmodi Vicarius tamen non potest cognoscere causas subditorum Cardinalium, qui in Ecclesiis sui Tituli, jurisdictionem quasi Episcopalem *habent; ut notat Fagn.* Neque potest *intra Urbem conferre beneficia*, etsi sit Cardinalis; ut habet Rebuff. Garc. &c. neque promovere ad Ordines eos, qui subsunt alteri Episcopo.

CAP. VI.

Quid Juris Regularis de Vicariis in Ordine S. Francisci.

1. NOta primò: variæ sortes Vicariorum reperiuntur in Ordine Franciscanò de Observ. & Ref. Alii enim sunt Vicarii Generales, alii Provinciales, alii locales. *Vicarii Generales* sunt in duplici differentia, quidam enim eliguntur per suffragia secreta; & quidam delegantur per patentes Ministri Generalis, & quidam à Summo Pontifice aliquando constituuntur. *Vicarii Generales per suffragia electi* sunt illi, qui in casu vacantiæ Officii P. Ministri Generalis, vel ob mortem, vel renunciationem, vel promotionem ejus ad dignitatem extra Ordinem, canonicè eliguntur à Patribus ad Diffinitorii Generale pertinentibus. *Vicarii per delegationem Ministri Generalis* sunt illi, qui per Patentes literas Ministri Generalis, in ejus absentia Familiam Cismontanam, vel Ultramontanam, vel partem ejus regunt; & hodie vocantur *Commissarii Generales delegati. Vicarii Generales per institutionem Summi Pontificis*, sunt illi, qui per Breve Apostolicum quandoque instituuntur pro regendo Ordine, in casu vacantię Ministeriatûs Generalis. His tribus sortibus Vicariorum Generalium assimilantur quoq; Vice-Commissarii Generales Ordinis, qui in casu vel absentiæ; vel realis vacantiæ propter mortem, aut renunciationem, aut promotionem ad dignitatem extra Ordinem P. Commissarii Generalis unius Familiæ, delegantur, aut eliguntur, aut constituuntur à Papa pro gubernio illius Familiæ, de qua assumptus erat Commissarius Generalis. *Vicarius Provincialis est*, qui in casu vacantiæ Officii Ministeriatûs Provincialis canonicè eligitur à Patribus Diffinitorii Provincialis. *Vicarius localis est*, qui à Capitulo, vel Diffinitorio Provinciali constitutus est vices gerens Guardiani localis.

2. Dico primò: Canonici Electores Vicarii Generalis per electionem Canonicam assumendi in Familia Ultramontana Ordinis sunt omnes Patres Ordinis, qui nimirum fuerunt Ministri, & Commissarii Generales Familiæ, Commissarius Generalis Indiarum, Diffinitores Generales ejusdem Familiæ; uti & Cismontani, si aliquos eorum adesse contingat in loco electionis; & sex Ministri, ac totidem Custodes Provinciarum, quæ viciniores sunt Provinciæ illius Patris, cui competit habere sigilla. Ita Constitutiones Generales Ordinis *cap.* 8 §. 15. *n.* 5.

3. Dico secundò: Electores verò Canonici Vicarii Generalis in Cismontana Familia sunt Exministri, Exvicarii, & Excommissarii Generales, qui biennio gubernârunt; Diffinitores Generales actuales ejusdem Familiæ; Procurator uterque Curiæ; & Diffinitores Generales Ultramontani, si qui adsint in loco electionis. Ita Constitutiones Generales *loc. cit. n.* 6. Iidem etiam eligunt Vice-Commissarium Generalem, in casu Commissariatûs Generalis vacantis.

4. Nota secundò: forma electionis canonicæ Vicariorum Generalium est eadem servanda, quæ pro Ministri Generalis electione; de qua supra *tit.* 6. *cap.* 8. *hoc lib.* Si talis electio fiat in casu vacantiæ Ministeriatûs Generalis propter mortẽ, vel promotionem ejusdem ad dignitatem extra Ordinem, in ea præsidet dignior & antiquior Ordinis Pater; uti habent Constitutiones Generales *cap.* 8. §. 18. *n.* 5.

5. Dico tertiò: Officium Vicarii Generalis per electionem canonicam assumpti est, tempore & loco opportunis convocare ac congregare omnes Vocales ejus Familiæ tantum, ex qua Minister Generalis erat assumptus, ad eligendum alium Ministrum Generalem in eadem Familia; si prior mortuus sit, aut promotus ad dignitatem extra Ordinem, aut renunciavit Officio, nondum exactô triennio sui muneris. Ita Constitutiones Generales *cap.* 8. §. 21. *n.* 1. & 3.

6. Dico quartò: Officium pariter talis Vicarii Generalis est, gubernare Ordinem, ac omnia præstare usque ad Capitulum Generale, quæ aliàs Minister Generalis solitus erat præstare; si is post exactum jam triennium Ministeriatûs moriatur, aut ex Ordine ad dignitatem assumatur, aut renunciet. Ita eædem Constitutiones *loc. cit. n.* 4.

7. Nota tertiò: Officium & Potestas Vicariorum, seu Commissariorum delegatorum Generalium ea erit, quæ in Patentibus literis Ministri Generalis delegantis ipsis conceditur: Mihi nuper à Reverendissimo P. Petro Marino Sormanno Ministro Generali, (qui fuit electus in Toletano Capitulo Generali) delegato suo Vicario, seu Commissario Generali pro Cismontana Familia Reform. concessa fuit indefinitè omnimoda, nullâ factâ exceptione, per amplissimas literas Patentes delegationis, datas Toleti anno 1682. die 20. Maji. Similiter Vicariorum Generalium institutorum à Sede Apostolica depromenda erit ex Brevibus Apostolicis institutionis eorundem.

8. Nota quartò: Vicarius Provincialis in casu mortis, vel renunciationis, vel promotionis ad dignitatem extra Ordinem, Ministri Provincialis, eligendus est ab omnibus Patribus Diffinitorii Provincialis; præsidente in eo digniore Patre Provinciæ; cujus erit quàm primùm convocare dictos Patres ad electionem præfatam celebrandum; uti ordinant Constitutiones Generales *cap.* 8. §. 50. Officium ejus, & potestas sunt eadem, quæ Ministri Provincialis; & durant usq; dum triennium illud effluat, quô defunctus Minister in Officio durare poterat; & non ultra; uti habent eædem Constitutiones *loc cit.*

9. Nota quintò: Vicariorum localium Officium, potestas, & qualitates exprimuntur in Constitutionibus Generalibus Ordinis *cap.* 8. §. 44. Hi præterea Vicarii in Conventibus non habentibus superiores constituti, sunt verè Prælati, secundum Rodrig. Lantusc. &c. habent enim Jurisdictionem ordinariam; & eandem quam Guardiani; *his enim subrogantur; & subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatur. cap. majores, de Baptismo.*

TITULUS XXIX.

DE

Officio, & Potestate Judicis Delegati.

Caput I.

Quid, & quotuplex sit Delegatus; & quis possit eum constituere.

1. NOta primò: inter eos, qui alieno nomine inserviunt, & vices aliorũ gerunt, sunt quoque Judices Delegati; quorum officium, potestas, & alia *hoc tit.* ventilantur. Et est observandum, quòd ab *hoc tit.* deinceps usque ad finem totius hujus Lib. I. tradantur præparatoria judiciorum, in II. Lib. discutiendorum. Inter ejusmodi autem præparatoria primum censetur esse examen Judicis, sive is delegatus, sive Ordinarius sit. De Delegato hìc; de Ordinario autem dicetur infra.

2. Dico primò: bene definitur Judex Delegatus, quòd *sit persona aliqua, quæ non suo jure, vel ex proprio munere; sed ex commissione vel ipsius Juris, vel alterius personæ ordinariam jurisdictionem habentis sibi facta, exercet jurisdictionem contentiosam.* Ita colligitur ex Vallens. Molina, Pirh. Per ly *non suo jure, vel ex proprio munere*, insinuatur differentia Judicis Delegati à Jure: Ly verò *vel alterius personæ ordinariam jurisdictionem habentis* ponitur, ut excludatur Judex arbiter, qui acquirit potestatem judicandi non ab Ordinario Judice, propriam jurisdictionem habente; sed à partibus compromittentibus, lege approbante. Dicitur demum *exercet jurisdictionem contentiosam*; quia hic titulus non agit de divinis Offi-